

φιλοσοφεῖν. Cæterūm, quod alienū est ab ingenio boni cuiuslibet, maximè verò à natura philosophica, ab eo vt qui maximè abhorret D. Præceptor meus, tantum abest, vt sibi à Veterum philosophantium sententijs nisi magnis de causis, ac rebus ipsis efflagitantibus, studio quodam nouitatis, temerè discedendum putarit. Alia est ætas, alia morum grauitas, doctrinæq; excellentia, alia denique ingenij celsitudo, animiq; magnitudo, quam vt tale quid in eum cadere queat, quod quidem est vel ætatis iuuenilis, vel τῶν μέγα φρονήτων ἐπιθεωρίᾳ μικρᾶ, vt Aristotelis utar verbis; vel ardentium ingeniorum, quæ à quolibet vento, suisq; affectibus mouentur, ac reguntur, vt etiam ceu κυβερνητῆ excusso, quoduis obuium sibi arripiant, & acerrimè propugnent. Verūm vincat veritas, vincat virtus, suusque honos perpetuò habeatur artibus, & quilibet bonus suæ artis Artifex in lucem, quod profit, proferat, atque in hunc tueretur modum, vt veritatem quæsiuisse videatur. Neque verò D. Præceptor bonorum, & doctorum Virorum iudicia vñquam abhorrebit, quæ subire ultrò cogitat.

B O R V S